



R E V S

A B

EDITIONE INSTRVMNTORVM NON
IMMVNIS, SED PERINDE AC ACTOR
AD EAM OBLIGATVS EST.

A 6

DISSERTATIO IVRIDICA

A U C T O R E

CAROLO IACOBO MANSO.



**I ENAE,
SVMTIBVS CVNONIS.**

MDCCCLXXXVIII

**KÖNIGRIED
UNIVERS.
ZVHALIE**

2 E A 2

COLLEGII HISTORICO-MATHEMATICO-
PHYSICO-LOGICO-ALCHEMICO-
PHYSICO-MATHEMATICO-LOGICO-
ALCHEMICO-ACADEMICO

INSTITUTIO PHYSICO-MATHEMATICO-

ALCHEMICO-LOGICO

ACADEMICO-MATHEMATICO-PHYSICO-

ALCHEMICO-LOGICO

PHYSICO-MATHEMATICO-ALCHEMICO-LOGICO

ACADEMICO

Per plurima quidem secula nihil omisere Iure-
consulti, quin scientiam, cui operam navant, me-
lius constituerent, et majori luce circumfunderent:
at sane quae praeslitere nec tempori, nec adhibi-
tae curae, nec denique ipsi librorum numero, ut
omnes norunt, satis respondent. In primis sors
inqua Iurisprudentiae practicæ contigit. Ut
hujus commode servirent, multi multis modis Le-
ges Romanas tentarunt, illustrarunt, explicue-
runt, Institutiones Praxeos juridicæ vulgarunt,
dubiaque solvere sunt conati; ab ipso vero sco-
po longissime aberrarunt. Immores enim fue-
re, non leges, quamvis praejudicio et vetustate
securitas, sed potius rei naturam et Ius philoso-
phicum universale, ad causas speciales translatum,
in causis disiudicandis esse spectandum.

Non male otium me collocaturum esse puta-
ui, si singulas partes Iuris accuratius examina-
rem. Ejusmodi argumentum tractandum nunc
mihi sumpi, quod paulo diligentius consideratum
leve et indignum omnino haberi nequit. En-
exemplum sententiae, per sexcenta compendia
propagatae et ab omnibus cathedris defensae,

* 2

nec



*nec tamen satis fulcitate, sed sanae rationi et rei
naturae contrariae! Extant quidem, praeter
innumeros de Processu libros, singularia quaedam
scripta de editione documentorum. Non ignobiles
sunt autores Christ. Klampel de editione in-
strumentorum, Argent. 1652. Iramann Sutorius
de edendo et recognoscendo vel jurato diffitendo,
Ienae, 1659. Christ. Hartungius de eo, quod
iustum est circa instrumenta edenda, Ienae 1684.
Hi autem fere omnis praetererunt editionem do-
cumentorum, quakenus reo ea praestanda est, et
in regula universali subsistunt. Ipse quoque Io.
Georg. Wernher de reo actori ad edendum obli-
gato, Götting. 1739. exceptiones tantum enu-
merat, quibus intercedentibus reus ex communi
Iureconsultorum opinione ad edendum tenetur.*

*Non timeo igitur, ne in diligendo argumen-
to erraverim, an in explicando satis profere-
michi cesserit, de eo penes judices peritos jus et
judicium esto. Qui si laborem meum non impro-
baverint, pergam forte horasque subsecivas et in
posteriorum argumentis vel omnino nondum vel
parum diligenter tractatis impendam. Nec
praecipue scire velim, utrum ex isto, quod §.
5. proposui, specimine quaedam artis criticæ
facultas, qualem in Iureconsulto exspectamus,
pateat.*

CONSPÉ

et rei
prae
cedam
gnobi
ne in
tiorius
tendo,
quod
1684-
em do
est, et
que Io.
n obli
m enu
mmuni
tur.

gumen
profere
jus et
impro
is et in
um vel
Nunc
uod \$.
criticae
zamus,

NSPE

CONSP ECTVS.

*R*eus secundum communem I^Ctorum opinione ad documenta actori edenda, non est obligatus.

§. I.

Sed rationes, quibus haec regula sufficiuntur, minime satisfaciunt; e contrario Reus in omnibus casibus, quibus intercedentibus actor reo documenta edere tenetur, etiam ad edendum actori obligatus est. Nam

Prima ratio regulae: quod nemo alteri adeoque nec reus actori arma subministrare soleat,

refutatur 1) quia tamen reo ab actore

* 3

instru-

C O N S P E C T U S.

instrumenta defensionis porrigenda sunt, et

- 2) quia quoque reus fisco aliisque privilegiatis personis documenta edere tenetur.

§. II.

Secunda ratio, quod actor ipse satis instritus in judicium venire debeat, corruit ob iniuritatem, inaequalitatem, et veritatis suppressionem, quae exinde oriuntur.

§. III.

Tertia denique ratio, quod leges expressae reo hoc privilegium concedant, quoque nullius momenti est. Hae leges enim minime sunt attendendae, potiusque rejiciendae

- 1) ob damnum auctori oriens, quod LL. iniquas reddit.
2) ob finem editionis, quae in utriusque litigantis favorem tendit,
3) ob libertatem a LL. romanis, ob earum iniuritatem, seu inconvenientiam, aliasque ob causas, recedendi.

§. IV.

Praetera autem

- 4) nec L. 4. C. de edendo, hic pertinet et id, quod ICti inde deducunt, continet,
5) nec L. I. §. 3, de edendo, sic, ut ICti plerumque volunt, interpretanda est, potiusque sententiae nostrae convenient.

§. V.

§. VI.

6) Ex-

C O N S P E C T U S.

6) Exceptiones regulae vulgaris, quorum 17. recensentur, ipsam regulam tollunt, §. VII. et VIII.

nec huic, per distinctionem inter actionem fundandam et adjuvandam, succuri potest. §. IX.

7) LL. quoque extant plurimae, contrarium regulae expresse statuentes §. X. XI. et XII.

8) Praxis denique legibus in favorem regulae allegatis, contraria est. §. XIII.

Casus a Leyfero allegatus hoc faciens, narratur. §. XIV.

Ob contrarias lictorum hac de re sententias et magna detimento partium inde orientia, princeps, qui per statutum provinciale, actori jus editionem a reo petendi expresse concedit, de republica bene meritum se reddit.

§. XV.

Regula, Reus quoque actori ad edendum semper est obligatus, si stabilita, adidunt adhuc quedam editionem documentorum in genere tangentia:

1) Vt actor sic et reus, editionem pentens, tuum interesse et documentum in alterius potestate situm esse, docere debet. §. XVI.

2) Iudex alternative aut editionem aut jurandum decernere debet, §. XVII.

3) Editio-

§. II.

§. III.

§. IV.

§. V.

§. VI.

6) Ex-

C O N S P E C T U S.

- 3) Editionem petens sive sit auctor, si-
ve sit reus, a juramento calumniae
nunquam immunis est. §. XVIII.
- 4) Editio petenda est vel principaliter,
vel incidenter. §. XIX.
- 5) Documenti editio demum post li-
tem contestatam peti potest, nisi ad
legitimationem documentum neces-
sarium sit. §. XX.
- 6) Reus dum edit, simul praescriptio-
nis exceptionem opponere potest. §. XXI.
- 7) Nonnumquam editio declinari pot-
est, si quis copiam pro originali
agnoscat. §. XXII.
- 8) Reus ad editionem condemnatus,
eamque defrectans, variis modis co-
gi potest. §. XXIII.
- 9) Sumtus de editione petenda orien-
tes, solvendi sunt. §. XXIV.
- 10) De obligatione tertii ad docu-
menta edenda quaedam monentur. §. XXV.

REVS



, XVIII.
§. XIX.
§. XX.
§. XXI.
§. XXII.
§. XXIII.
§. XXIV.
§. XXV.
REVS

REVS

AB EDITIONE INSTRUMENTORVM NON IM-
MVNIS, SED PERINDE AC ACTOR AD
EAM OBLIGATVS EST.

I.

Nullam fere materiam pluribus gravioribus que dubiis obnoxiam in jure inveniri persuasum mihi est, quam illam de documentis edendis, de qua ipse Leyserus Vir Illustris in suis ad Pandectas meditationibus specim. 38 medit. i ait: „Maximae sunt circa doctrinam de editione documentorum difficultates.“ In primis vero magna inter Iureconsultos lis est: an reus ad documenta actori edenda obligatus sit? Negat tota Iureconsultorum schola hanc quæstionem propter legem 4 C. de Edendo, expressis verbis dicentem: „qui accu/are volunt, probationes habere debent: cum neque juris, neque aequitatis ratio

A

,ratio

ratio permittat, ut alienorum instrumentorum
inspiciendorum potestas fieri debeat: "cujus
legis rationem Brünemannus in commentar. ad
hanc legem in eo ponit: quia iniquum sit, com-
pelli aliquem, ut alteri arma in suam ipsius in-
terencionem tradat, et assentit Stryckius in usu
moderno Lib. II Tit. 13 § 17. dicens: „reum
quod attinet, illum ab editione instrumento-
rum immunem esse, certi juris est, ne arma
suppeditare teneatur actori.“ Nec dissentit Ia-
cobus Menochius dum in arbitrar. judic. Quae-
stion. Lib. II Centur. 5 Qu. 499. nr. 1 ait: „Est
valde inhumanum ut quis sumat arma de do-
mo rei, bis enim interimitur qui suo gladio
perit.“ Sed mox aliam quoque rationem ad-
dit: „ne scilicet negligientia actoris, qui ad ju-
dicium paratus venire debeat, noceat ipsi reo“
et cum his quoque congruit Lauferbachius in
collegio theoret. pract. Lib. II Tit. 13 § 3¹.
Inde Doctores regulam formant: Reum ad do-
cumenta edenda actori non esse obligatum, hanc
que multis legibus tam ex jure civili quam cano-
nico sufficiunt: ast idem regulae tam multas
limitationes et exceptiones adjiciunt, ut tota fe-
re regula his ipsis tollatur. Eam ob rem pau-
cis ostendam: reum ab edendo nunquam im-
munem, sed in omnibus eis casibus, quibus in-
tercedentibus actor reo documenta edere debeat,
ad edendum pariter obligatum esse.

II.

Prima eaque gravissima ratio, quam Doctor res, ut liberent reum ab editione documentorum, afferre solent, in eo ponitur: ne arma actori subminifret. *Brunnemannus loc. cit. Stryckius loc. cit. Coccejus in jure controverso Lib. II Tit. 13. Qu. 11. nr. I.* Si vero reus eam ob causam ab editione liberandus erit, sequitur, nec actorem instrumenta, quibus ipse non utitur, nec ad ejus exceptionem fundandam edere teneri, quippe tunc actor quoque arma contra se reo porrigeret. Evidem hoc lo. Voetius intellexisse videatur, qui in *commentar. ad Pandect. Lib. II Tit. 13. no. 17.* dicit: „non tamen actor reo edere tenerur instrumenta illa, quibus ad firmandam actionem institutam usus non est, etiam si illa reo ad exceptionem probanda profutura essent, neque enim cuiquam imponendum fuit, ut contra propria laboraret commoda, aut arma suo suppeditarer adversario, quibus ipse juguletur“ moxque circa finein eiusdem spli: „De caetero nimium evagari puto interpres, qui actori necessitatem imponent, edendi reo non rationes tantum, sed et alia omnis generis instrumenta sive communia sint, sive prouesse reo possiat, licet illis actor ipse usurus non sit.“ Ast Voetii sententia in foro non attenditur, sed ibi actor secundum communem Doctorum opinionem, indistincte ad editionem omnium documentorum, etiam eorum, quibus

A 2

ipse



ipse non vitur, reus vero ad firmandam exceptionem uti potest, obligatur. cf. Richter. de probationibus Lib. II cap. 1. no. 40. Stryckius in usu modern. Lib. II Tit. 13. §. 16. Berlichius in conclus. pract. Part. I. concl. 45. et Carol. Gottl. Knorr. in observat. select. ad Ludovici doctrin. Pandect. Lib. II. Tit. 13. obj. 92. aliisque. Iniquissimum vero est, reum ab armorum contra se pugnantium editione liberare, contra actori mandare, ut in sui ipsius interacionem adversarium armis instruat. Deinde nec concedemus, ut fisco instrumenta a reo edenda sint. Multo enim pejus existimo, potiori qualis est fiscus, cui iura favent, quam cuivis actori, arma subministrare; quid? quod fisco, secundum celeberrimorum iureconsultorum opinionem, non nimis favendum, sed illi modo contra hominum artus succurrentum sit. Legiferus in meditat. ad Pandect. spec. 426. medit. 6. de vestigalibus. et tamen non solum omnes ICri uno ore affirman, fisco instrumenta a reo edenda esse, (Coccejus dec. cit. Richter. de probationibus Lib. II. cap. 1. nr. 26.) sed idem quoque in lege 2 §. 1. et 2. de jure fisci sanctum est. Et si quis forte mihi objiceret, hanc rationem non esse attendendam, quoniam filio hoc jus, tanquam privilegium, per leges concessum sit, facile istud concederem, si modo iureconsulti in fisco ut legibus expresse privilegiato subsisterent, ast idem privilegium ad causas ecclesiae, matrimonii, doris, pupillorum, pauperum.

perum, caeterarumque miserabilium personarum, tum legatorum ad pias causas, libertatis, hisque similia extendunt, cum tamen ne ecclesiae quidem *), nedum aliis causis favorabilibus, sed soli fisco tale privilegium concessum, siue illud cum privilegia, quia sunt odiosa, stricte sunt interpretanda et non amplianda, c. 7. X. de privilegiis et c. 8. X. de decimis, ad alios non extendendum est. Quamvis enim fiscus et ecclesia in quibusdam convenient, in plurimis tamen differunt, in primis vero ecclesiae, nec plura nec recentiora privilegia, quam ei revera per leges concessa sunt, affungi possunt. cf. Iust. Henning. Bochmerus in jure ecclesiastico protestantium Lib. II. Tit. 22. §. 14. Si ergo reus idcirco ab editione liberandus est, ne arma actori porrigit, profecto nec ecclesiae aliisque privilegiatis personis jus concedemus, editionem a reo poscendi, quippe haec omnes ob favorem, quo in jure fruuntur, multo periculosiores sunt, multoque pejus est, his, quam aliis arma subministrare; et tamen Iureconsulti haud inclebres, v. c. Coccejus loc. cit. nr. 4. Richterus loc. cit. nr. 26. Mevius in decisionibus Part. V. Dec. 3¹⁸. et alii existimant, rei esse, non ecclesiae soli, sed in omnibus favorabilibus causis,

A 3 de

*) In nonnullis tamen territoriis provinciali statuto ecclesiis hoc singulare jus, editionem instrumentorum a reo petendi, expresse tributum est, veluti in terris Borussiae cf. Codex Frid. Part. III. Tit. 22. §. 4.

de quibus supra dixi, documenta edere. Quin ipsum dominum feudi directum a vasallo editionem instrumentorum etiam non communium petere posse dicunt. *Bergerus in oeconomia iuris Lib. IV. Tit. 24. pag. 1077.* quibus exceptionibus admissis istam rationem cadere omnes intelligent. Quae cum ita sint, nimis durus is sane esset, qui actori jus documentorum editionem a reo perendi denegaret. Ius enim illud aut aequum aut iniquum est: Si acquum, cuius actori illud concedemus, sin minus, denegabimus etiam fisco et aliis privilegiatis personis,

III.

Altera est ratio cur reum ab editione liberent, quod nimurum actor ipse satis instrutus in judicium veniat, nec argumentis destitutus sit. Sed si hanc rationem firmam ratamque habemus, multa inde incommoda oriuntur. Primum negari nequit iniquissimum esse, actorem, cuius actio in jure fundata est, quique editis a reo documentis viatoriam fore reportasset, a judicii finibus arcere, reum contra malitiose agentem tueri et alterius damno locupletare; in omnibus enim, maxime vero in jure, ad aequalitatem respicere decet, *L. 90. D. de regulis iuris.* Deinde omnis inter actorem reumque aequalitas, quam tamen in judicis semper servandam esse contendunt, plane tolleretur, si prior solus, non autem posterior ad documenta edenda

Quia
lo editio-
nium
nia ju-
s exce-
omnes
durus
m editio-
m il-
quum,
is, de-
is per-

e libe-
ruius
titutus
ue ha-
Pri-
torem,
diris a
set, a
litiole
re; in
acqui-
is ju-
imque
er fer-
or, si
menta
denda

edenda esset obligatus. Nec inquis in reum
mihi esse videor, cum eum per editionem ag-
gressorem contra se armare jubeo: Reus enim
vel justam suam exceptionem vel falsam eam et
impiam esse novit: si prius, edat auctoremque
convincat: nam si editum documentum auctoris
causam non juvet, ei nec obserbit, sed multo
potius proderit, sin autem posterius, nullo fa-
vore dignus est, et non video cur reum dolo suo
et alterius damno locupletiorem a judicio disce-
dere patiamur? cum tamen Lex 14. D. de con-
ditione indebiti ex lex 206. D. de regulis juris
expresse dicit: „Iuris naturae aequum esse, ut
nemo cum alterius detimento et injuria locu-
pletior fiat.“ Si denique reus ad instrumen-
ta edenda compelli nequit, qua alia via veritas
rei, in controversiam vocatae, erui ei in lucem
proferri potest? Evidem non ignoro multos
doctores et in his Richterum de probationibus
Lib. II. cap. I. nr. 51, usque 54. omnem ope-
ram adhibere, ut hujus argumenti vim insur-
ment et frangant, hoc in primis urgentes, quod
ad indagandam et eruendam veritatem, testes
cogere et examinare liceat. Sed si leges stricte
interpretetur, vereor, ne hoc quoque auxilio
actor defiliatur. Lex enim 7. C. de Testibus
reum ad exhibendos eos, per quos sibi negotium
fiat, compelli posse negat, idque Brunneman-
nus in commentar. ad hanc legem non tantum
de testibus domesticis sed de filiis quoque ser-
vis et aliis rei potestati subjectis, recteque, ni-

A 4

fallor,



fallor, intelligit. Quo modo ergo actori succurramus, cui ad caussam ruendam nil superstet, praeter documenta et testes, sed eos, quos in manibus et potestate sua tenet reus? Nisi in hoc verum statu reum ad edendum compellere fas est, summum jus summa erit injuria. Ipse autem Iustinianus in L. 2. C. de Edendo ad veritatem investigandam acta publica exhiberi permittit. Quam legem, et si iureconsulti unice de exhibendis actis publicis intelligi malint, pluribus tamen infra §. 10. ostendam, viii. ejus ex mente legislatoris latius patere. Adjiciunt his Doctores ab adversis partibus; ad explorandam veritatem, non solum judicem, si ei aequivisum fuerit, ex officio quaestiones proponere, sed ipsum quoque actorem tales contra reum formare, et ut is respondeat verumque fateatur, petere posse. Sed quod ad prius attinet, non intelligo, quales positiones seu interrogations judex proponere et praeferunt in quem eas dirigere possit, cum nulli testes adsint, et qui praefato sunt a reo non exhibeantur. Quod vero ad posterius, nihil profecto aut parum quaestiones et interrogations actorem juvabunt. Negabit eas reus, commodis suis inserviens, nec iusjurandum purgatorium renuet *), quo praefatio

*) Etsi enim secundum jus canonicum quilibet presumitur bonus, nemo tamen spondebit, improbum, qui interpellatus non solum solvere sed et documentum edere detrectar, cum ta-

9

stio aetor denique causa exciderit, et impensa
damno ejus adjiciantur. Volunt quidem hoc
casu interveniente, statuuntque Doctores senten-
tiae contrariae adhaerentes, editionem instru-
mentorum, si nulla alia via ad veritatem pateat,
cum demum a judice reo imponi posse. Sed
vanitatem exceptionis jam olim ostenderunt
Brunnemannus *in commentar. ad L. 6. C. de*
Edendo et post eum Leyferus in meditat. ad
Pandect. spec. 38. medit. 8. et coroll. 2. et spe-
cim. 307. medit. 13. bene monentes, parrem,
quae adversarium rem suam aliunde probare
posse contendat, calumniandi criminationem
subire. Quo magis mirum omnibus videbitur,
hanc exceptionem, nulla istius argumenti ratione
habita, a multis iisque illustrissimis Iureconsul-
tis ad casus trahi, quibus intercedentibus reus
actori ad documentorum editionem obligetur.
Cocceji jus controversum loc. cit. nr. 6. Mevii
Decisiones Part. II. Decis. 127. et Carpzovius
in jurisprudent. forens. Part. I. consit. 17. def.
27. nr. 1. Accedit quoque quod reum ab edi-
tione liberare valde absolum est, cum is, quod
multo majus est, compelli potest, ut respon-
deat verumque fateatur et animi secreta per ju-

A §

ramen-

men sciat se quidem debere, sed nulla alia re,
nisi per documentum, quod in suis manibus est,
convinci posse, nemo inquam spondebit, illum
commodi sui causa non pejeratum esse, cum
imprimis juramenta ut numis frequentia omne
fere pondus amiserint.



ramentum, imo non raro ob legem final. C. de
Quæfionibus per torturam coactus, in sui ipsius
damnum evulget, et quæ occulta sunt revelet,

IV.

Liberant denum Doctores reum ab edendo
propter varias leges et praefertim ob legem 4.
C. de Edendo ubi, ut jam §. I. dixi, verbis ex-
pressis legimus: „Qui accusare volunt, proba-
tiones habere debent, cum neque juris neque
„aequitatis ratio permittat, ut alienorum instru-
„mentorum inspiciendorum potestas fieri debeat.“
Argumentum primo intuitu satis grave firmum-
que, ast lege accuratius perspecta et cum aliis
collata, leve et infirmum! Arbitror enim hu-
ius legis nullam rationem habendam esse: nam
1. testante Leylero in meditat. ad Pandect. spec.
657. medit. 26. et 27. leges reo necessitatem
edendi remittentes, si non iniquae, durae ta-
men, et ni fallor nocivae ideoque merito rejic-
tiandae sunt. Non aegre enim his rebus veri-
tas supprimi potest. 2. Extant quoque leges
quæ reum actori ad edendum obligant, de quæ
§. 9. 10. et 11. 3. Nobis nec obstar praxis,
nec deest testimonium et assensus celebrium lu-
reconsultorum de qu. §. 12. 4. Documento-
rum praeterea editio in utriusque litigantis fa-
vorem recepta, jam et introducta est, ideoque
hoc beneficium utriusque parti, tam actori quam
reo commune, et nemini invito adimendum
est.

II

elt. cf. Schaumburgii compend. jur. Digestor.
Lib. II. Tit. 13. §. 13. 5. Tandem illa lex
et communis opinio, quod reus ab edendo im-
munis sit, per multas a Doctoribus factas et in
foro agitatas et receptas exceptiones, quae §. 6.
et 7. recenzebo, valde debilitatur immo tollitur.
6. Iureconsulti a legibus Romanis recedunt, si
nimis durae et iniquae videantur *), cur in re
dubitant, cuius iniurias et durities manifesta im-
mo sole clarius et a celebribus jureconsultis jam
dudum agnita est. cf. Leyserus loc. supr. citat.
cui accedit quod Iureconsulti isti legi tam insi-
gnem exceptionum numerum, quas tamen ipsae
leges interdum non solum non defendant, sed
faepè etiam prohibent, jam adjunxere. Equi-
dem non ignoro legibus inhaerendum, L. I. §.
20. D. de exercitat. action. nec ab eis, licet du-
ris, recedendum esse, L. 12. §. 1. D. qui et
a quibus manumissi, judices praeterea clementio-
res lege esse non debere, Nov. 82. cap. 10. sed
soli principi leges temperare relinqui, L. 1. C.
de LL. tunc vero lex non obscura et dubia, sed
clara et perspecta esse debet, ut iudicem ex su-
pra citata lege 1. §. 20. D. de exercit. aff. ap-
paret.

*) Exemplum sit lex 2. §. 2. D. de jure fisci. ex-
prefte jubens, instrumenta non esse edenda fi-
lico, si de capitali causa agatur, et quamvis
nulla lex adest, quae contrarium statuat, testa-
tur tamen Gothofredus ad legem 2. D. de jure
fisci. usum fori jam dudum ab hac lege re-
cessisse.



paret. Ast, ni fallor, ostendam, legem 4. C. de Edendo maxime dubiam et in omnes partes veritatem esse, quo casu interveniente judici proniorem sententiam eligere decet.

V.

Maxime praecipua vero ratio, qua, ut mihi persuasi, illa thesis reum ab editione ob leges expressas immunem esse, plane corruit, haec est, quia 7. notabilis illa lex 4. C. de Edendo, minime hue, ubi de caussis civilibus sermo est, pertineat, sed modo ad caussas criminales trahi possit. Hoc luculententer appetet ex principio hujus legis: Qui accusare volunt. Verbum enim accuso ex genio linguae latinae nunquam in caussis civilibus, sed temper in criminalibus adhibetur *), quod non solum ex omnibus regulis Digestor. et Codic. de accusationibus et inscriptionibus et ex toto titulo Cod. de his qui accusare non possunt, nec minus ex lege 10. D. de feritis,

*) Sola doctrina de contumacia Iureconsulti phrasit utuntur, alicuius contumaciam accusare, sed in Corpore Iuris ne in hac quidem doctrina, et semel omnino, nempe in lege 13. §. 2. C. de Iudicis incutare reperitur. At contumaciae accusatio revera non proprie actio civilis est, sed contumax, dum in contentum judicis frustra expectatur, noxam admittit, ideoque, ab adversa parte accusatus, a judice punitur. cf. L. 53. princ. D. de re judicata et effectu sententiarum.

ferii, lege unic. C. ut nemo invitus *), Novella 113. cap. 3. etc. sed ex profanis quoque scriptoribus patet. Tali enim sententia non solum apud Cornelium Nepotem in *Miltiade* cap. 8. et *Lysandro* cap. 3. et 4. sed etiam apud Ciceronem in orationibus, (*Orat. quae divinatio dicitur per tot.*) et saepe in actionibus in *C. Verrem* nec minus in *Q. Caecilius* et in officiis *Lib. II.* cap. 14. et alibi reperitur; idque etiam ex *Tacito de moribus Germanorum* cap. 12. apparet, qui dicit: „licet apud onus illum accusare quoque et discrimen capitum intendere.“ Hac de profanis scriptoribus. Sed etiam apud Iureconsultos denotata accusare et accusatio causam criminalem: sic enim dicit perillustris Io. Aug. Hellfeld in *repertorio juris privato sub voce Anklage in not.*: Accusationem esse solemnem criminiis ad judicem competentem delationem, vindictae publicae causa factam. Me quidem non fugit, non desesse Iureconsultos qui affirmant verba *accusare* et *accusatio* etiam in causis civilibus adhiberi solere: si tamen non negant, tunc inappropriam esse significationem. Sic enim dicit Matthaeus Wesenbeccius ad *Tit. D. de accusat. et inscript.* „Accusare et si generaliter significat aliquem ad causam dicendam urgere, vnde accusationis nomine etiam civilis actio et „per-

*) ibi enim sanctum est: „invitus agere vel accusare nemo cogatur:“ ex quo apparet, agere et accusare valde inter se diversa esse.

„persecutio venit, sicuti contra actio pro accusacione ponitur, tamen obtinuit ut proprie accusare et accusatio ad criminationes et delationes delictorum referantur.“ Semper vero propria significatio impropriae anteferenda et tunc deum posterior adhibenda est, si haec ex antecedentibus vel postsequentibus clare patet, idque eo magis, cum ipsae leges jubeant: in qualibet dispositione verba in significacione propria accipienda esse, nec ab eis recedendum nisi manifeste de contraria mente dispositionis appareat. cf. L. 69. princ. D. de legatis 3. quo verbi causa pertinet, si absurditas inde sequatur. Ex lege 4. C. de Edendo sane impropria significatio verbi accusare neque ex antecedentibus neque ex subsequentibus colligi potest, nec ex propria, multo magis vero ex impropria significacione absurditas oriretur, et miror Wefenbeccium supra allegatum loc. citat. ad suam sententiam corroborandam, quod nempe accusare et accusatio in causis quoque civilibus adhibeatur, eandem legem 4. citare, cum illud sane ex ea non patet, et multo minus ex altera ab eo citata lege 20. D. de Accusat. et inscript. ubi de delictis et poenis ad heredes transeuntibus sermo est. In Corpore Iuris enim semper de causis criminalibus accusare et accusatio, de civilibus contra agere et actio hisque similia adhibentur; haec que distinctio tam accurate observatur, ut nec in doctrina de Edendo neglecta sit. Sic Ulpianus in L. 1. D. de Edendo ubi de causis civilibus sermo

fermo est: „Aequissimum videtur eum qui ACTV-
SIVS est, edere actionem.“ Plura adferrem,
nisi breviteri studerem. Satis tuerur veritatem
interpretationis lex 1, *C. de Edendo*, qua legis-
lator editionem decernere plane iudicis arbitrio
permittit, ita, ut hic, secundum Iureconsulto-
rum opinionem, toties reo editionem injungere
possit, quoties justa causa eam suadeat. Perez.
m. praelect. ad Cod. Lib. II. Tit. 1. in not. ad
m. 12. et Martini in commentar. ad O. P. S. Tit.
26. §. 1. nr. 22. et 24. Huic vero legi contra-
diceret lex 4 ej. reum ab instrumentorum edi-
tione immunem esse praecipiens. Profecto ve-
reor, si haec lex 4. *C. de Edendo* de caussis ci-
vilibus intelligenda sit, ne in locum aequitatis, ini-
quum succedar, ut etiam supra §. 3. monstravi,
cum contra eadem, de solis caussis criminalibus
intellecta, ut sine dubio legislatoris voluntas
fuit, justa et aequa sit. Iniquum enim esset in
caussis criminalibus, in quibus semper de fa-
ma et existimatione agitur, jubere reum ea quo-
que edere instrumenta, ex quibus turpitudo
ejus pateret. Caeterum haec lex, quae tantum
ad processum accusatorium respicit, ubi nefas-
tarium omnino et uile erat, accusatori saepe
malitiose agenti, tale frenum injicere, nunc
cum processu accusatorio abolito, in ejus
locum inquisitorius sucessit, parum utili-
taris habebit, quippe res reorum statim perve-
ligantur, ut veritas eo citius detegatur. Mich.
God. Wernherus in lect. comm. ad D. Lib. II.
Tit.



Tit. 13. §. 17. Per hanc igitur legem legislatorum ab editione non liberare, sed ad summum actoris modo libidini frenum injicere voluit, ne is ad editionem eorum documentorum, quibus ipse postea propter irrelevantiam uti non possit, reum compelleret, quia, uti jam supra dixi, ipsae leges contrarium statuentes ad sunt*). Mirum quidem primo intuitu videatur, quod legislator inspectionem alienorum instrumentorum vetet, hocque deinde a documentis irrelevantibus intelligi voluerit. At extant plures multo obscuriores prorsusque inutiles leges in jure Romano, nec defunt in doctrina de edendo. Sic enim in lege 1. §. 3. *D. de Edendo* sancitum est: „omnia instrumenta, quae pars „adversa apud judicem, ut edantur, petit, edentur, da esse“ et mox sequitur supervacanea fereque absurdus limitatio: „ad editionem eorum vero, „quibus pars adversa uti non vult, nemo compellendus est.“ Ex his omnibus satis patet, reum haud secus, ac auctorem, ad edendum obligatum esse, quod etiam infra pluribus me ostensurum esse spero.

VI.

Cum dicta ista lege 1. §. 3. *D. de Edendo* ad corroborandam meam sententiam saepe uar, illam

*^o) Nec aliter explicanda erit lex final *C. de Edendo*, quod imprimis inde colligo, quoniam haec lex manifeste ad Legem. 4. *C. de Edendo* spectat, ergo nostrae opinioni non obstat.

17

illam vero I*Cri* diversimode interpretentur, bre-
viter quid de hac judicem hic subjiciam. Ipsa
lex in Corpore Iuris ita sonat: „Edenda sunt
omnia, quae quis apud judicem editurus est:
non tamen, ut et instrumenta, quibus quis usu-
rus non est, compellantur edere.“ Non defunt
I.Cri recentiores, quos omnes enumerare nimis
longum foret, qui hanc legem de auctore solo
intelligi volunt, eamque ita interpretantur, ut
dicant, legislatorem per illam sanxisse; auctorem
jussu judicis omnia documenta edere debere,
praeter ea, quibus ipse contra reum uti nolit.
Hos vero omnino errare arbitror, cum ejusmo-
di interpretatio primo contra genium linguae
est, quippe quis nunquam pro ipse poni potest,
quod tamen Doctores statuunt. Deinde haec
lex, si modo auctorem ad eorum documentorum
editionem obligare veller, quibus ipse contra
adversarium uturus sit, plane inutilis esset, cum
auctor per causae naturam ad id obligetur, ni-
hil enim documenta probant, nisi originaliter
produceantur. Inimo tunc regula: auctor reo
omnia documenta edere obligatus est, cessaret,
et illa valerer: auctor ea sola documenta edere
debet, quibus contra reum uti vult. Ad hoc
evicandum dicunt quidem isti *I.Cri*, hancce le-
gem modo de editione, quae fiat ante item con-
testatam, intelligendam esse, (cf. Carol. Gottl.
Knorr. in *observat. select. ad Ludovici doctirin.*
Pandect. Lib. II. Tit. 13. obs. 92. et 10. Hen-
*ric. Berger. in *resolut. leg. obstant. Lib. II. Tit.**

B

13.



13. Qu. 4.) ita quidem ut actor reo ad deliberandum modo ea documenta edere teneatur, quibus ipse usurus est, contra ad fundamam rei exceptionem omnia, etiam illa, quibus ipse usurus non est. (*Strychius in usu modern.* Lib. II. Tit. 13. §. 16.) Cum vero legislator hujus distinctionis neque antea neque postea meminim, sed indistincte ait: *edenda esse omnia instrumenta*, et iterum indistincte ea excipit, *quibus quis non est usurus*, non video, quomodo! Cui haec legem modo de editione, quae fit ante licet contestatam, intelligi volunt, cum tamen, ubi lex non distinguit, nec nostrum est distingvere. Magis igitur mihi arrider sententia eorum, qui affirmant, haec verba etiam in rei partes ducenda esse *). Colligo enim ex verbis *quae quis et quibus quis* sententia legislatoris esse: tam actor rem quam reum judge jubente omnia documenta edere debere, praeter ea, quibus adversarius uti non velit **): quis enim significat omnem?

*) Huc v. c. pertinet Iacobus Menochius, de arbitrar. jud. Quaest. Lib. II. Cent. 5. Quæsta. 499. nr. 71, dicens: „illud relativum *quis refert* non solum personam actoris, sed etiam rei conventi.“

**) Respicit enim legislator hic modo eum ad casum, quo pars exprefie editionem petit, non vero quo judex ex officio eam decernit. Aperte igitur hac ex lege judicem modo parte petente non vero ex officio editionem decerget.

1 delibe-
tur, qui-
dam rei
bus ipse
ern. Lib.
or hujus
nemini,
strumen-
tibus quis
Cti hanc
te litem
nen, ubi
ingueret
om, qui
s ducen-
uae quis
am acto-
ia docu-
is adver-
significat
omnem
e, de re
Quae, et
quis re-
etiam re
eum ad
tit, non
it, Ap-
do parte
deceras
ra

omnem partem litigantem, tam auctorem quam
reum, et quibus quis omnem adversarium, quo-
niam, nisi res sic se haberet, pro quis, ipse po-
nendum esset.

VII.

Non alienum mihi esse videtur, inserere hoc
loco exceptiones nonnullas, quae, ut *Spho. I.* di-
xi, ab iis proferuntur, qui reum ad documen-
ta edenda auctori non esse obligatum, statuunt,
ut eo facilius cuivis appareat, quam misere
ipla regula istis exceptionibus restringatur. Cum
vero exceptiones quadam a regula verae sint,
nec regulam tollant, aliae contra admissae eam
statim irritam faciant, utrasque ita sejungam, ut
priora hoc, posteriores sequenti *Spho.* enumera-
rem. Est autem reus ex adversariorum senten-
cia ad instrumenta auctori edenda obligatus 1. Si
fuit communia *). *Carpzov. jurispr. forensis*

B 2

Part.

re posse. Tollitur autem vel potius emendatur
haec lex per legem 1. C. de Edendo, judicem
etiam ex officio editionem petere permittens,
de qua re plur. vid. infr. §. 10.

* Oritur communio instrumentorum 1. ex pro-
prietate chartae, qualia sunt instrumenta, plu-
ribus legitam vel donata, aut a pluribus com-
muni pecunia emta, aut hereditaria inter cohe-
redes. 2. ex argumento vel contractu in iis de-
scripto, qualis est eentio venditio, locatio con-
ductio, huius similia. 3. ex natura negotii in
pluri-



Part. I. Conf. 17. def. 26. nr. 7. sequ. Rich-
terus de probationibus Lib. II. cap. 1. nr. 28.
et Stryckius in Consiliis, Conf. IV. ibique re-
sponsum: quocum etiam congruit Herzoglich
Sachsen Gothaische vermehrte und verbesserte
Prozessordnung. *Part. I. cap. 26. §. 1. 2.* Si
spectent ad eum, qui illorum editionem pen-
so die Briefe dem, der die Edition suchet, zuge-
hoeren. cf. Churfürstlich Saechsische Prozeß-
und Gerichtsordnung. Tit. 26. arque Richteru-
s loc. citat. nr. 29. et idem sancitum est in Ordin.
Proces. Sax. Goth. loc. cit. 3. Si reo inurtilia,
actori utilia sunt. Carpzov. loc. cit. D. 27. nr.
2. qui plures allegat, ex regula juris: quod tibi
non nocet, alteri autem prodest, ad id potest
compelli. 4. Si instrumenta in judicio prode-
cere velit reus; nam ex allegatione instrumen-
ta in causa, quam quis pro se facit, redditur illu-
commune, sicut omnia, que in actis sunt eam
que ob causam alteri parti etiam agenti edi de-
bet. *Mevius in decisionibus Part. V. decif. 317.*

plurium cautionem, quo pertinet rationes
instrumenta tutorum, curatorum, procurato-
rum et socii. 4. ex allegatione. Quaecunque
enim in actis sunt, communia fiunt; et tandem
5. secundum Ord. Proc. Sax. Goth. Part. I. C.
26. §. 1. non solum ea documenta communi-
funt putanda, quea fuit alterius ratione com-
prietatis vel usus, sed etiam ea, quea quis fi-
ob usum inde provenientem vindicare potest
woran jemand eines gewissen Interesse habe
„Anspruch hat.“

Rich.
 r. 28
 ue re
 zoglich
 eslerre
 2. Si
 petat
 , zuge-
 roze/
 Richter
 Ordin-
 inuillia,
 27. nr.
 quod te-
 ad Pote-
 produ-
 ramen-
 tur illud
 ent, can-
 i edi de-
 cisi. 317
 no.
 tiones
 procurato-
 ria, acun-
 dem et tandem
 Part. I. C
 commando
 e quis fil
 re potest
 /je. hallo
 not. 6. Quid? quod instrumenta actori negari
 aequiras disluadeat. Richterus loc. cit. nr. 27.
 5. Si documenta actoris mandato scripta et con-
 fecta sunt. Richterus loc. cit. nr. 38. 6. Si edi-
 tio aliquius statuti, ab una parte in judicio alle-
 gati ab altera vero negati, a magistratu petatur.
 Gaius in observationibus Lib. I. obs. 106. nr.
 8. Ejusmodi enim statutum est publicum, acta
 vero publica ipse Justinianus lege 2. C. de Eden-
 do exhiberi expresse juber. Eadem ex ratione
 7. scripturae quoque sive banni, sive alterius cu-
 jusdam actus ad vindictam publicam spectantis,
 unicuique, cuius interest, edenda sunt. Gai-
 lius loc. cit. nr. 14. 8. In poenam inde Iudei
 et usurarii accepti et expensi codices edere te-
 nentur, quod Doctores etiam in alias personas,
 quae in contractibus fraudis suspicionem incur-
 runt, veluti in publicanos, cauponas et stabu-
 larios extendunt. Gaius loc. cit. nr. 13. et 14.
 Coccejus in jure controverso Lib. II. Tit. 13.
 Qu. II. nr. 5. 9. Si actori causa favet, quia
 favor causae praevalens favore rei. Mascardus
 de probationibus Vol. I. Concl. 36. nr. 69. Hoc
 vero usu venire solet, in causis fisci, et qui-
 dem non solum in causis civilibus ob legem
 2. §. 2. D. de jure fisci, sed etiam ex usu fori
 in criminalibus. cf. Leyserus in meditat. spec.
 657. medit. 26. et 27. qui hoc responso a seabi-
 lis Vittebergensis lato confirmat, et si dicta
 lex 2. §. 2. D. de jure fisci, expresse illud ve-
 lat. Porro in causis ecclesiae, Mevius Part.



V. decis. 318. matrimonii, dotis, pupillorum, pauperum, nec non studiosorum, *Martini in commentar. ad O. P. S. Tit. 26. §. 1. n. 45.* hisque similibus *). *Richterus loc. cit. nr. 26. Coccejus loc. cit. nr. 4.* 10. Vasallum et emphiteutam domino feudi et emphiteuseos, ad editionem instrumentorum investiturem, ex quibus, quaenam bona sint feudalia et emphiteuseos, quaenamve non sint, appareat, obligatum esse. cf. *Richterus loc. cit. nr. 33.* et rponsum ibi allatum, exceptis tamen his casibus; si quis neget, se esse vasallum; et si vasallus feudum ultra triginta annos possederit; inhumanum enim esset, possessorem cogi ab illo qui possessionis suae titulum ducere experit. cf. *Richterus ibid. nr. 35. et 36.* Immo negant Iureconsulti reum ad probandam scientiam in materia praescriptionis ad documenta fisco edenda obstrictum teneri, quoniam fiscus hoc casu privatus habendus sit. *Barthius in Diffens. Diff. 758. nr. 3.* 11. Si reo incumbit proba-

* De fisco quidem expressa lex extat, quae editionem sancit, nempe lex 2. §. 2. D. de jure fisci, non ita de reliquis, sed in his Doctores, ut solent, casum ad easum extendunt, cf. *Bergius in oeconomia juris Lib. IV. Tit. 24. pag. 1077.* et *Leyserus in meditat. spec. 38. coroll. 3.* qui Mevii sententiam, quod reus ecclesie agenti documenta edere debeat, etsi non in legge, tamen in nequitate fundatam, adeoque meritio usu servari ait, idque responso a Iureconsultis Helnstadienibus late confirmat.

tio: reus enim, si ad probationem fundandam instrumenta producit, iis nec actorem privare potest. *Coccejus loc. cit. nr. 2.* Quando reus actoris vices subit. *Mevius in Decision. Part. II. Dec. 127.* Tunc enim reus actori exhibitionem instrumentorum ad fundandam actoris replicationem negare nequit. *Coccejus in jure controverso Lib. II. Tit. 13. Qu. 11. nr. 3.* Evidem non ignoro inter Doctores maximum esse dissensum ob deficientem in jure decisionem, nec defunt qui hanc exceptionem admittere volunt, sed in praxi editionem instrumentorum tali casu intercedente receptam esse, afferit Stryckius in usu moderno *Lib. II. Tit. 13. §. 18.* quia actor replicarurus vicem rei suscipiat, cuius commodo instrumentorum editio ius serviat *).

Mevius loc. cit. in not. nr. 4. Nec minus 13. in actione negotioria reus actori instrumenta tradere debet, quoniam actor rei vices in reprobatione subit. *Rivinus in enunciatis juris Tit. 26. enunc. 14.* porro simili modo 14. in mittitu ac duplicibus judicis, qualia sunt, familiæ

B 4

liae

* In Ducatu Gothano haec lis per novam et emendatam process. ordinat. *Part. I. Cap. 26.* §. 1. composita et reus hoc cau indistincte ad editionem obligatus est, per verba: „der Be- „klagte ist zur Edition ohne Unterschied anzuhalten, wenn Klaeger seibige zum Behuf sei- „ner Replik, (ohngeachtet dieselbe der Klage „bereits eingerücket, und also pars libelli wor- den,) von ihm fordert.“

liae erciscundae, communi dividendo et finium regundorum, quoniam ibi reus etiam actoris vi-
ces sustinet; nam uterque actor et reus est. cf.
Carpzovii jurisprudent. forens. Part. I. Const.
17. def. 26. et Martini in commentar. ad O. P.
S. Tit. 26. §. 1. nr. 39. quod etiam eo exten-
dendum erit, si alter forte fuerit electus; quo-
niam haec electio ad ordinem judicij conservan-
dum, et item sine confusione peragendam ten-
dit, judicij vero naturam mutare non potest.
cf. *Io. Georg. Wernher de reo actori ad eden-
dum obligato* §. 19. tandem 15.) si actor semi-
plene intentionem suam probaverit. cf. *Berli-
chius in conclusionibus Part. I. Concl. 45. nr.
60.* qui, cum conclusione dicta multos casus
attulerit, omnino evoluti mereatur.

VIII.

Novam praeter ea exceptionem a regulâ
reus ad edendum non est obligatus, accedere
volunt. 16. Si ejus interfisi, qui instrumenti
editionem petat. *Gailius loc. cit. nr. 2. et Rich-
terus loc. cit. nr. 30.* quibus omnibus denique
hanc thesin addunt: 17. Index in justa causa
ex officio non modo compellere potest, sed de-
bet quoque reum ad exhibenda contra se docu-
menta *Mevius in decisionibus Part. III. Dcf.*
356. in not. nr. 3. Iustam vero ansam eius-
modi editionem reo injungendi jam aequitatem
praebere, idem testatur *Mevius, Part. V. Dc-*
fij.

ejf. 317. in not. nr. 5. Non is sum, qui harum adserionum veritatem in dubium vocem, liberissime contra concedo, obligari reum, ubi hi casus obveniant, ad instrumenta edenda. At si, hæc exceptiones ut veras a regula admittis, ipsam regulam: reus ad edendum non est obligatus, corrucre sequitur; nam ipse actor ad edendum non obligatus est, nisi aut ejus inter sit, qui petat editionem, aut judici editio documentorum aqua videatur; quippe nemo, ideoque ne actor quidem, ad documenta edenda obligatur, quae edita nil relevant, aut ad rem ipsam non pertinent. cf. Engauius in Decisionibus Part. I. Dec. 295. nr. 4. Nunquam sane, ni fallor, fieri potest, quin reus solus ad edendum obligatus esset, contra, quoties actor ad documenta reo edenda tenetur, toties idem reus actori praestare debet. Quamvis vero actor et reus hic omnino sibi invicem pares sunt, nec alter alteri praferendus, nemo tamen iureconsulitorum erit, qui inde regulam: „Actor ad edendum non obligatus est“ formet, huicque tantam exceptionum multitudinem, quantum il li additam esse vidimus, adjiciat *).

B 5

VIII.

*) Silento praetereo exceptionem, reum actori, si nulla alia via verum eruendi et probandi huic pateat, documenta edere debere, eti a Coccejo, Mevio, Carpzvio, Mynsingero, Berlichio, Richtero, aliquique huc trahatur, cum ejus variatatem jam circa finem §. 3. me pluribus ostendisse putem.

VIII.

Nonnulli praevidentes, quae quantaque incommoda et absurdia ex regula: reus ad edendum non obligatus est, nascantur, quantumque detrimenti regulae ipsi per adjectas exceptiones inferatur, distinguunt inter actionem fundandam et adjuvandam. Si actor, inquit, editionem ad adjuvandam actionem petat, reus ad edendum omnino compelli potest. cf. Engavius in *Decisionibus Part. II. Decis. 8. nr. 2.* qui plures quoque allegat. Sin vero documentis ad actionem fundandam uti velit, negant reum actori ad edendum obligatum esse. Engavius loc. cit. Part. I. Decis. 401. nr. 1. et Bergerus in *oeconomia juris Lib. IV. Tit. 24. pag. 1075.* At quam parum haec ipsa distinctione valeat, jam inde apparer, quia fiscus ad fundandam principalem suam intentionem, ut documenta sibi edantur, jure postulat. Iason in *Commentar. ad L. 3. D. de Edendo nr. 2.* Immò hoc etiam in favorem dotis merito extendi, cum dos et fiscus pares sibi parentur, idem Iason *ibid. nr. 3.* testatur. Sunt quidem, qui hanc rationem attendi nolint, cum istud privilegium praecipuum sit fisci et dotis, et maiorem vim argumento accedere parent, quia filius privilegio suo contra ecclesiam, tanquam perfornam aequa privilegiata, uti non possit. Sed si omnia illis concedimus, judici tamen, eui iustum et necessarium esse videbitur, libertas editionem documentorum posseendi manebit. Hanc vero

Vero jure suo ecclesiae injungeret, tum quia lex
 I. C. de *Edendo* illius arbitrio quodvis permit-
 tit, tum quia, ut §. 3. jam ostendi, actor, ob
 documentum, quo actio ejus innititur, defectum,
 sine injuria ab judicio arceri nequit *). Valet
 igitur regula: reus perinde ac actor ad eden-
 dum est obligatus, id quod sequentibus Sphis
 pluribus me ostensurum esse confido.

X.

Pater ex Spho 4. legem 4. C. de *Edendo*
 thesi nostrae modo stabilitae primo intuitu ob-
 stantem, parum etiam ea ex causa attendam
 esse, quoniam leges quoque extent, quea reuni
 ad edendum obligant. Huc vero in primis per-
 tinet lex I. §. 3. D. de *Edendo* qua clare sanc-
 tum est: *Edenda esse omnia quae quis i. e. pars,*
sive actor, sive reus, apud judicem editurus sit,
ita ut etiam reus parte petente et judice jubente

non

*) Silentio hoc loco praeterire non possum, Iure-
 consulitos et in primis veteres huic quoque re-
 gulae: reus actori ad actionem fundandam do-
 cumenta edere non est obligatus, ineptas sane
 et singulares exceptiones adiecisse. Sic verbi
 gratia legitur apud Iasonem ad. L. fin. C. de
 Edendo nr. 3. reum actori ad fundandam ejus
 actionem documenta tunc edere debere, si ani-
 ma rei conventi in periculo versetur, ut in caus-
 ia matrimonii. Ridicula sane ratio, quea, ut
 ipse Iason postea fatetur, omnes leges confun-
 dit. Praetereo alias.



non possit, quin adversario documenta edat. *ef.*
supr. §. 5. not. Sed ne partis quidem pe-
 titione opus est: judici ipsi, si editio ei necessa-
 ria visa est, illam, quamvis actor non urgeat,
 reo injungere adeoque ex officio petere licet, id-
 que per legem *1. C. de Edendo*, quae judici
 de edendis instrumentis omnem libertatem con-
 cedit, ejusque arbitrio permitit, toties reo edi-
 tionem injungere, quoties justa causa eam sua-
 deat. *Perez. praelectiones in Cod. Lib. II. Tit.*
1. in not. ad nr. 12. Contendunt quidem Rivi-
 nus in enunciatis juris *Tit. 26. enunc. 1. pag.*
1032. et in primis Carpzovius in *processu Tit.*
14. Art. 4. nr. 4. et in responsis Lib. III. Tit.
8. Resp. 77. nr. 3. judicem, in partes precibus
 illi instarent, editionem decernere non posse, sed
 reclamant Mevius in *decisionibus Part. V. del.*
317. not. 5. Leylerus in meditat. ad Pandect.
Spec. 38. medit. 2. et Barthius in Dissenſ. diff.
755. nr. 2. et jure, siquidem judicis arbitrium
legibus nullo modo restringitur.

XI.

Magnum deinde momentum theſi noſtræ
 accedit ex lege *2. C. de Edendo.* Ibi enim im-
 perator Iuſtinianus, ut acta publica exhiberen-
 tur, praecipit. Quam si quis legem de foliis actis
 publicis edendis interpretari velleret, is vehemen-
 ter errarer. Ostendit enim ratio adjecta, quae
 ad veritatem investigandam spectat, legem de
 omni-

omnibus documentis recte intelligi, acta publica vero tantum in exemplum hoc loco vocata esse. Ad veritatem enim investigandam non semper acta publica adfunt, cum tamen veritatem investigare judicis semper interfit *). Confirmatur idem mirum in modum per legem 48. D. de action. emti et vendit., quippe quae fundi hereditarii venditorem, mota lite, instrumenta fundi edere jubet, ut appareat quae iura defunctorum fuerint; nec minus per legem 95. §. ult. D. ad. legem falcidiam. Cum enim ibi quaestio moveretur, an heres, legatariis desiderantibus, ad editionem omnium instrumentorum

*) Recte igitur monet Io. Georg. Wernherus in *dissert. de reo actori ad edendum obligato* §. 5. et 6. hac in lege neutquam de illa editione potius exhibitione actorum (Vorlegung der Akten) quae interdum a litigantibus vel etiam a tertio petatur, lite judici si neque illata neque inferenda, sermonem esse, hanc enim regulariter nemini, ne extraneo quidem, siquidem huic quoque iustitiam administrari oporteat, negari posse, sed de illa potius quae a judice, quando ipse conveniatur, praestanda sit; quae omnia §. 6. pulchre et copiose probat. — Nunquam igitur judex, ne in illo quidem causa, si ipse reus est, actorum editionem recusare potest, nec audiendus Lauterbach in *theor. pract. Lib. 2. Tit. 13. §. 31.* qui judicem, si ipse de iudicatur vel alio exceptu in officio commisso conveniatur, de editione liberet, sed assentiendum Menkenio *Proc. Tit. 26. §. 13.* contrarium sententiam defendantem.

rum hereditariorum tenetur, legislator hoc omne judicis arbitrio reliquit, ita ut hic omnia exploret, et in casu necessario editionem decernat.

XII.

Extant praeter ea leges quibus sententia nostra, et si eam expressis verbis non tradant, tamen sine ulla adhibita vi elicatur. Sic in c. 2. *X. de mit. petit. sanctum est: reum et auctorem eodem jure esse habendos, nec hujus conditionem ab conditione illius quidquam differre.* Si itaque auctor ad instrumenta reo edenda obligatus est, reum ob similitudinem juris et conditionis idem praestare oportet. Pari ratione huic quoque trahenda est lex 47. *D. de regulis iuris,* qua sanctum est: „*Ne debeat auctori licere, quod reo non permittatur.*“ Recte enim hanc legem, quia secundum Iureconsultorum opinionem monet, aequalitatem inter litigantes esse observandam, ita interpretantur, ut, quod auctori non liceat, nec reo licere debeat. cf. *Bronchorstius in Commentar. ad h. tit. et leg.* Non quidem negandum est, dare etiam reorum praerogativas in jure et legibus fundatas, quo praeceps pertinet lex 125. *D. de regulis iuris* dicens: „*Favorabiliores rei potius quam auctores habentur.*“ Haec autem regula retinenda est tantum ad ea, quea ad decisionem causae spectant, ita ut priora sint iura ad absolvendum, quam ad condemnandum, cum secundum

dum legem 5. *D. de poenis*, satis sit non punire facinus nocentis, quam innocentem condemnare. Sic reus quidem eti nihil praestiterit, auctore nihil probante, absolvendus est, ut pareret ex lege 4. *C. de Edendo*, media vero, quibus auctor intentionem suam probare potest, eam ob causam ei minime deneganda fuit, indeque nec documentorum editio, idque eo magis, cum nec leges desunt, quae auctorem praerogant, ut lex 83. §. 1. *D. de Verbor. obligat. in fin.* Inde dicunt Iureconsulti ineunte lito auctori, ob expressam modo citatam legem 83. §. 1. *in fin.* *D. de verbor. obligat.* media lito utriusque, tum reo tum auctori, idque, ut Gaius in suis observationibus *Lib. I. obs. 31. nr. 12.* observat, ad veritatem indagandam, exente denique, reo favendum esse. cf. *Carpzovius in process. juris Tit. IV. Art. 1. §. 1. nr. 14.* et *Mascardus de probationibus Vol. I. conclus. 36.* Cum vero auctor editionem a reo, sive ineunte, sive media lito, eam tantum ob causam perat, ut veritatem eruat, aequitas istius petitionis sane extra omnem dubitationis aleam posita mihi esse videtur.

XIII.

Nostrae denique thesi nec praxim contrariam esse, testatur casus quem in suis ad Pandectas meditationibus *specim 38. meditat. 1. offerit Leyserus.* Nulla ibi adeat earum exceptionum, quae secundum communem Doctorum opinionem reum

reum ad edendum compellere possunt. Nihil
secius Iureconsulti Helmstadienses, sola aequi-
tate permoti in instantia leuterationis sententiam
judicis, qui reo, contra communem opinionem,
editionem documentorum injunxerat, confirma-
runt, additis his rationibus: „Dass dem Bi-
„klagtem editio documentorum auferlegt worden
„daran hat der judex nicht unrecht gehandelt;
„als dessen officio es lediglich anheim gestellt
„wird, wie denn ohnedies die ganze doctrin de-
„edendo nicht so wohl in jure stricto, als viel-
„mehr in der Billigkeit, und folglich in der
„Richters Gutbefinden beruhet etc.“ Immo ex-
pressè provisum est lege 8. C. de Iudicio ex
aequis juri stricto praeferratur. Nec tandem
definit celebres Iureconsulti, qui affirmant, re-
gulam: reum ad documenta edenda non esse
obligatum, nullius usus esse, sed propter adje-
ctas mulitas exceptions corrue. Sic excell.
Daniel Nettelbladt, in dem Versuch einer An-
leitung zu der ganzen praktischen Rechtsgelehr-
heit §. 862. circa fin: „Es ist auch hierbei kein
„Unterschied, ob der, von welchem die Aus-
„antwortung begehret wird, der Klaeger, oder
„der Beklagte, oder ein Dritter ist, immassen
„die Regel, dass der Beklagte Urkunden, die dem
„Klaeger nicht eignen oder gemeinschaftlich, her-
„auszugeben nicht schuldig sey, so viele Ausnah-
„men hat, dass dieselbe hinwegfallt.“

XIV.

His rationibus sat demonstrasse videor, reum perinde ac actorem ad edendum esse obligatum. Sed priusquam materiam hancce deseram, licetum mihi sit, quendam casum a Leysero *in Medit. ad Pandect. Specim. 307. medit. 13.* allatum, quo thesis mea mire firmatur, commemo rare. Narrat ille loco citato: Viduum quendam post uxoris mortem de pactis dotalibus edendis in jus vocatum esse. Actorem extraneum tuisse cumque dixisse, se certo certius scire, sibi in his pactis dotalibus aliquid ab uxore delegatum esse. Viduum editionem omnibus modis detrectasse, iplosque judices diu ob regulam reos ab edendi necessitate solventem, haec siſſe, utrum viduum condemnarent. Ad postremum tamen cum ex ratione, quia pacta dotalia ut documentum commune consideranda esent, damnatum esse. Iustissima tunc sententia lata, vero ex ratio i.e. quae haud gravissima mihi videatur. Intelligi enim nequit, quomodo pacta dotalia quae inter conjuges documenta communia sunt, etiam inter conjugem et extraneum talia haberi possint. Leyserus ut sententiam suam tecumque citat §. 10. *I. de testamentis ordinandis* ubi Iustini nus: „Totum negotium quod agitur testamenti ordinandi gratia, creditur hodie inter testatorem et heredem agi.“ Indeque concludit, legatarios et fideicommissarios heredem ad tabulas testamenti sibi edendas recte cogere posse.

C

posse.

posse. At timeo ne recte hue trahatur iste **S**ophus
10. I. de testament. ordinand. Iustinianus ibi de
 testibus loquitur, qui in testamento confiende
 jure adhiberentur, dicitque: neque heredem
 scriptum, neque eum qui in ejus sit potestate
 neque fratres, qui in ejusdem patris potestate
 sint, testes adhiberi posse, quoniam totum illud
 negotium inter testatorem et heredem agatur.
 Quis igitur itum paragraphum 10., qui de te-
 stibus ad testamentum confiendum adhibendis
 agit, ad doctrinam de instrumentis edendis, ab
 ista plane diverfam, extendat? Deinde legat-
 rii et fideicommissarii testamenti editionem neu-
 tiquam ab herede petere possunt, quoniam do-
 cumentum commune est: existimo enim ad eos
 non pertinere, quippe quibus ipsis est exstante
 dum an heres scriptus hereditatem sit adiutorius.
 Quam si ille non audeat, corrueret testamentum
 cum legatis caeterisque capitibus, nec redindas-
 ret quidquam ad legatarios et fideicommissarios.
 Judico itaque, legatarios potius testamenti edi-
 tionem ab heredibus petere posse, tum ex aequi-
 tate, tum quia eorum interest. Sin vero con-
 cederem quoque, legatarios et fideicommissarios cog-
 heredem ad testamenti tabulas sibi edendas coge-
 re posse, quoniam testamentum sit documentum
 commune, nemo tamen id ipsum ad paetitia
 ralia, a testamenti toto coelo disfantis, ex-
 det. Satis ex his patet, rationes, quibus modi
 Iureconsulti Helmstadienses apud Leyserum vi-
 dum



duum illum ad pactorum dotalium editionem
condemnabant, multo magis in aequitatem et com-
modo ejus, qui editionem peteret, quam in
eo, quod paclum dotale commune sit documen-
tum, quaerendas esse; et Leyserus ipse, ni-
fallor, sententiam *specim. 309.* meditat. s. circa
finem mutavit, dicens: editionem pactorum do-
talium etiam a tertio, qui heres non sit, sed
eius tamen illa videre intercesset, jure flagitari.

XV.

Protecto igitur nemo auctori sine summa in-
juria jus editionem a reo perendi admere pot-
est. Sed quidquid sit cum per varias DD. in-
terpretationes hoc jus auctoris in controversiam
vocatur, dubiumque redditur, optimum vide-
tur per statutum provinciale hoc jus auctori ex-
prefse referbare sique multos eosque saepe in-
justos processus evitare. Bene hoc praevidit po-
tentissimus Rex et sapientissimus legislator Bo-
russiae Fridericus Magnus ideoque auctori jus
editionem a reo petendi in Corp. Iur. Frideri-
ciano Lib. I. Part. I. Tit. 10. §. 26. expresse
tribuit dicens: Der Richter, welchem obliegt,
für die Ausmittlung der Wahrheit von Amts-
wegen zu sorgen, ist berechtigt, von jedem oh-
ne allen Unterchied und Ausnahme, der ein
zur Aufklärung des facti gehöriges Document
in Haenden hat, er sey Klaeger oder Beklagter

C 2

oder

oder eine Dritte in den Process gar nicht verwickelte Person, dessen Herausgabe oder Edition zu fordern.

XVI.

Duo vero ei incumbunt qui documentorum editionem petit: primo ut probet, sua irrerifse, instrumentum inspicere, *Engauius in decisionibus Part. II. decif. 38. nr. 6.* vel jure dominii, vel jure communionis, vel intuitu praesentis caussae, cf. *Schaumburg in compend. juris Digest. Lib. II. Tit. 13. §. 14.* nam documenta, quae edita nil relevant, non sunt edenda, nec actor ipse ad ea edenda compelli potest. *Hofnius in Consultat. respons. et sentent. Claff. 12. resp. 26. fol. 823a.* Secundo ut ostendat, documentum in alterius potestate esse. Attamen ut recte Leyserus statuit, hic probatione longa et operosa non opus est, sufficiet verosimiliter ostendisse, documentum, cuius editio penatur, ab adversa parte teneri. Immo licebit, etiam si nulla praesumtione adjuverit, alterum cogere ut jurejurando confirmet, documenta nec personae se, nec dolo malo e manibus tradita esse, ea tamen restrictione, ut deferens antea de columnia juret *). *Leyserus in meditat. ad Pav-*

*) Non omnes quidem Iureconsulti hac in re consentiant. In Ducatu vero Gothano idem jubet verbis

ht ver-
Edition
ntorum
in refer-
in deci-
ure do-
u prae-
nd. jur.
cumen-
edends,
t. Hor-
laff. 12.
dat, do-
ttamem-
e longa-
similiter
petatur,
etiam si
cogere
nec po-
ita esse,
a de ca-
ud Pan-
deß.
re con-
em jubet
verbis

dest. speim. 38. medit. 3. et 4. Hoc autem de documentis edendis delatum jusjurandum ex parte praestandum est, et conscientiam levare is, cui deferuntur, probationibus nequit *), Barthus in diffensibus, diff. 680. nec omnium documentorum exhibitione liberabitur **). Heredes tamen a jurejurando praefando et documentis edendis exhibutum inventarium liberat ***).

C 3

cf.

verbis expressis nova ordinatio processus Part. I. Cap. 26. §. 6.

*) Quocum etiam nova ordinat. processus, Sax. Goth. Part. I. Cap. 26. §. 2. et 6. congruit.

**) Exhibitus omnium documentorum idcirco frumentaria est, quia suspicio, citatum documents, quorum editionem actor urgeat, possidere eo non tollitur. cf. Ordinat. Process. Saxon. Reg. Tit. 26. §. 2.

***) In Saxonia Electorali vero per novam ordinat. Process. recognit. Tit. 26. §. 2. exhibitus tum omnium documentorum tum inventariorum, que olim heredibus in eorum commodum permissa erat, quoniam plerunque effectu caret et causam retardat, prorsus sublata est. cf. Jacob. Frieder. Ludovici in der Einleitung zum civil Prozess. Cap. 18. §. 8. Longe alter sepe res habet in terris Borussiae; ibi enim hoc ius hereditibus neutriquam adentum sed potius a potentissimo Rege Friderico Magno in corpore iure Fridericiano Lib. 1. part. 1. Tit. 10. § 28. confirm.



*et Riwinus in enunciatis juris Tit. 26. enunc. 25.
et 35. et ibi allatum responsum hujus sententiae:
„Dieweil Beklagte durch Vorlegung der Inventarien
beygebracht, dass die geforderten Documenta
in ihres verstorbenen Ehemanns Verlassenschaft
nicht vorhanden, so wird dessen Principal mit dem Eide billig verschonet.“*

XVII.

Iudex si ei aequum et justum visum sit, ut instrumentorum editio fiat, eam alteri, a quo petitur, per sententiam injungere debet. Haec vero sententia alternative concipienda est, ita ut iudex ei, a quo instrumentum exigitur, imponat documentum vel edere, vel jurare, se id nec habere,

confirmatum est, ita tamen, ut lieres antea iurare cogatur: er wisse und glaube nicht, dass das geforderte Document sich unter den Scripturien des Erblassers befindet, dass er diese Briefschaften dem Commissario getreulich vorlegen wolle; dass er nichts davon gefaehrlicher Weise abhanden gebracht habe noch bringen wolle; und dass er auch nicht wisse, wo das geforderte Document sonst befindlich sey. Ipmus denique tertium *sphus 31.* exhibitione omnium documentorum ab editione liberari vult, si iuraverit: er wisse und glaube nicht, dass das Document unter seinen Briefschaften befindlich sey, und habe auch solches nicht gesachlicher Weise abhanden gebracht.

unc. 25.
tentriae;
r Inven
n Docu
Verlof
en Print
“

sit, ut
a quo
Haec
t, ita ut
imponat
e id nec
habere

ntea jura
cht, das
n Scriptu
iese Brief
vorlegen
cher We
gen wol
o das ge
Ipsius
omniu
alt, si ju
dass das
befindlich
achlicher

habere, nec dolo malo possidere desisse*), quoniam lex 22. C. de fide instrumentorum parti hanc libertatem concedit; et tale juramentum editionis a judge ex officio impositum, itidem ut id a parte delatum praecile praelandum est, ita ut is, qui ad jurandum condemnatus est, illud nec referre nec conscientiam suam probationibus defendere possit **), cf. Ordinat. Pro-

C 4

cess.

*) Jurabit etiam secundum Ordinat. Proc. Sax. Recog. Tit. 26. §. 2 se necire, in cuius manibus sit documentum, quod olim exigi non poterat, testante Rivino in enunc. juris Tit. 26. enunc. 18. ubi ait: actorem, cum reo jurare iunctum sit, se nec documenta penes se habere, nec dolo malo ea possidere desisse, leuterationem interposuisse, et mediante ea declaracionem petuisse, quod reus simul jurare debeat; se necire in quorum manibus de praelenti documenta reperiantur; ast leuterationem a separatu appellationum rejectam, actore inque in expensas condemnatum fuisse. De culpa vero, dass er das Document nicht aus Nachlaessigkeit habe von abhanden kommen lassen, ut et de scientia, dass er von dem Innhalt des Documents keine Nachricht habe, juramentum non est praelandum, tum quia nemo circa rem, quam suo nomine possidet, de culpa tenetur, tum quia rei alienae ignorantia justa est. cf. Schaumburgii principia praxeos juridicae judicariae Lib. I. Sect. I. Memb. III. Cap. 3. §. 7.

**) Si forte universitati juramentum editionis imponi-



ccif. Sax. Recogn. Tit. 26. Si vero forte acciderit ut judex editionem tantum per sententiam injunxerit, simulque in contumaciam committatorie pronunciaverit, haecque sententia nulla interposita leuteratione vel appellatione rara firmaque fuerit, hoc tamen parti non nocebit, sed jus illi salvum manebit, et libera facultas, documentum vel edendi, vel per juramentum se ab editione liberandi, tum quia judex sic iudicans, vere non possidentem ad impossibilitatem obligat, tum quia jus quod leges concedunt, mihi invito a judice adimi nequit. cf. Bergeri *dissertat. de sententia tacite alternativa.* Quando vero judex reum vel ad edendum vel ad jurandum condemnat, hicque ad jurandum praestandum se offert, tamenque terminatum ad jurandum praefixum negligit, tum Rivinus in enunciatis juris *Tit. 26. enunc. 36. art.* juramentum editionis pro deserto dijudicandum, reumque simpliciter ad documentum edendum et recognoscendum obligatum esse, hocque per responsum confirmat. Ego vero hoc fieri dubito posse, nisi documenti copia in *aetis extant?* quod praeter ea reus vere illud non potest fidens

ponitur, tunc non universitas ipsa, ut in iuramento suppletorio, purgatorio et calumnia, sed adverarius juratos eligit, et denominat. Rationes et responsum vide in Carol. Ferdinand. Horanel, *Rhapsodia Quæstionum obseruat.* XXX,

te acci-
rentiam
commi-
tia nul-
ne rara
nocebit,
facultas
mentum
x sic jur-
fabilita-
conce-
uit. cf.
nativa,
lum vel
rumentum
Rivinus
, jura-
andum,
endum
que per
eri dur-
is extat
on pol-
siders
in jun-
cunnia,
moniat,
ardinand,
obseruat

fidens ad impossibilitatem obligaretur. Novum potius ad praestandum juramentum terminum praefigendum, reumque sub poena actori omne ex eo ortum damnum resarcendi et interesse praestandi citandum esse puto. Si vero pars ad jurandum se offert, et adversarius sua ratione sufficiente contradicit, tunc juramentum pro praestito habendum est. *Rivinus loc. cit.*
munc. 32.

XVIII.

Frequens quoque et sane jam decantata lis est inter Doctores, utrum, qui in foro Saxonico editionem petat, a juramento columniae solvi possit, nec ne. Etsi enim in lege 6. §. 2. et lege 9. §. 3. *D. de Edendo* verbis expressis mandatum est, ut editionem postulans juramentum columniae praefaret, Carpzovius tamen *in juris-
prudent. forens. Part. I. Const. 17. def. 29.* Berlichius *in Conclus. Part. I. concl. 45.* aliique affirmant, in foro Saxonico per ordinat. process. judic. Elector. Saxon. *Tit. 26. princ.* aliud quidpiam sanctum esse. Stryckius vero *in usu moderno Lib. II. Tit. 13. §. 15.* distinguit inter reum ab actore et inter actorem a reo editionem pertinentem. Reum a juramento columniae liberum esse judicar, quoniam id petat, ad quod actorem ipsi reo obstrictum esse jura nostra volebant: actorem contra ab hocce jurejurando

C 5

solvi



solfi posse non censet. Ast Carpzovium et Berlichium clare refutavit Leyserus *in meditat. ad Pandect. specim. 38. meditat. 4. circa finem*, luculenter ostendens Potentissimum legislatorum Saxoniae in ista modo dicta ordinatione processus *Tit. 26. §. 2.* juramentum calumniae ab utroque exigi velle, siquidem §phus 1. quem Carpzovius et Berlichius citant, *huc trahi nequeat*, nisi petens argumenta et praesumptiones calumniam purgantes adducere possit, quo quidem casu interveniente nec jus civile calumniae juramentum admittat. Quam parum vero Stryckii distinctio attendenda sit, iam exinde apparet, quia, ut §. 9. et 10. jam ostendi, non defunt leges, ut lex 1. §. 3. *D. de edendo et les 2. C eod. tit.* quae actori aequo ac reo editionem poscere permittunt, adeo, ut actor editionem documentorum petens, id simul petat, ad quod leges reum obstringant. Nullam igitur dubium est, juramentum calumniae etiam in foro Saxonico tam ab actori quam a reo praestandum esse, si destituti probationibus et praesumptionibus calumniam diluentibus, editionem, sive alter ab altero, sive a tertio petant *).

XIX.

*) In Ducatu Gothano per novam ordinacionem processus *Part. I. Cap. 26. §. 1.* judicis arbitrio, si periculum quoqdam aut fraudem timeat, permisum est, parti vel ejus advocato juramentum malitiae imponere.

XIX.

Modus editionem instrumentorum petendi inter actorem et reum unus idemque est. Fit vel incidenter in eodem processu, penes articulos probatorios, *Martini in commentar. ad Ordinat. Proc. Saxon. Tit. 26. Artic. 1. nr. 64.* vel principaliter, aut jure actionis et quidem per actionem in factum ad id quanti alterius interficit, *Martini loc. cit. nr. 64. Stryckius in usu moderno Lib. II. Tit. 3. §. 14. et Gaiilius in obseruat. Lib. I. obs. 106. nr. 2.* aut idque saepissime implorato officio judicis ut is causiae necessitate, examinata per mandata compulsoria, tam simplicia, sine comminatione poenae, quam arctiora, cum comminatione certae poenae. *Martini loc. cit. nr. 67. Stryckius loc. cit. et Gaiilius loc. cit. obs. 134. nr. 14.* Sed satis. Hic tantum norabo editionem instrumentorum originalium non temper de necessitate esse. Producio enim documentorum aut ad finem probandi aut ad finem deliberandi spectat. Si prius, edenda sunt ipsa originalia, sin posterius, sufficiunt exempla et copiae eorum. *Martini in commentar. ad Ordinat. Process. Saxon. Tit. 26. §. 1. nr. 74. et 75.*

XX.

Quaestio hic oritur inter Iureconsultos quando editio documentorum petenda sit? In duas vero

vero partes discedunt, quarum utraque illius tantum editionis, quam reus ab auctore petat, rationem habet. Prior editionem reo ab auctore omnino indistincte ante litis contestationem fieri vult, non ut inde rem proberet, sed ut intelligat, utrum cedere an contendere in illius commodum sit. *Io. Voet. in Commentar. ad Pandect. Lib. II. Tit. 13. no. 16.* Sed hacc opinio, licet respectu rei adhiberi posse videatur, respectu tamen auctoris sane non locum habebit; quid? quod Leyserus in *meditat. ad Pandect. specim. 38. medit. 5. et specim. 261. medit. 8. et 9. recte*, ut credo, asserit, ne auctorem quidem ante item contestatam ad documenta edenda cerner, hocque non solum rationibus sed et responsio a Iureconsultis Helmstadiensis lato fatis iufuicit, quocum etiam congruit Recessus Imperii de a. 1654. §. 35. qui auctoris arbitrio concedit, utrum documenta statim cum actione edere, an in primo termino offerre, an post litis contestationem producere velit. Altera, cuius sententia magis arrideret, bene distinguunt utrum instrumentum, cuius editio petatur, ad legitimationem personarum, an ad decisionem negotii principalis pertineat. Si illud, tum ante, in hoc, tum post contestatam item editionem peri posse contendunt. *Bruunemannus in Commentar. ad Cod. Iustinian. ad L. fin. C. de Edendo.* Ego ex similitudine rationis colligo, nec auctorem documentorum editionem a reo prius perte

re illius posse; quam post litis contestationem, nam ante item contestatam actor nescit, quid reus negatur sit, quidue affirmatur. Facile igitur fieri posset, ut ad probandam propositionem a reo documentum aliquod peteretur, cuius vim abnegare reo in mentem non venisset²⁾.

XXI.

Cum fieri facile possit, ut reus, a quo editio petitur, dum documentum, quod forte syngraphum est, edit, simul praescriptionis exceptionem opponat, dicens, syngraphum per annos triginta in manibus habui, nunquam interpellatus sum, nunquam usuras solvi, debitum ergo praescriptum est; quaestio hinc enascatur: Utrum debitum intra triginta et plures annos, si debitor neque interpellatus sit, neque usuras solverit, praescribi queat, praefertim si syngraphum in debitoris manibus fuerit? Stryckius in *dissertat. de praescript. action. Membr. I.*

Axiom.

²⁾ In Ducatu Gothano per novam ordinat. process. Part. I. Cap. 26. §. 1, licet documentum editionem simul cum traditione articulorum pro-batorialium petere, per verba: „Wer bey dem „Gegenthil oder auch bey einem tertio editio- „nem documentorum zu suchen gemeint ist, soll „solches bey Verlust der Documenten mit deren „Benennung alsofort bey den Artickeln bewer- „stetigen.“

Axiom. 6. nr. 5. praescriptionem opponi posse, omnino negat, cum debitor, licet per 30 vel 40 annos non interpellatus, tamen se debitorem esse non ignoret siue in mala fide versetur. Carpzovius contra *in reffons. Lib. I. Resp. 33. nr. 1. seq.* pecuniae debitum in foro saxonico per triginta annorum anni et diei spatium, sicut omnia, praescribi putar, ad Bartolum provocans, qui bonam fidem in praescrivente profrus non requirit; Quam sententiam licet ipse non amplectitur, a nimio tamen rigore in debiti praescriptione judicem recedere debere existimat. Ast eam ipsam exceptionem Stryckius *loc. cit. nr. 6.* tantum in alieno facto agnoscit, nec in usu moderno *Lib. XXXXIII. Tit. 3. §. 3.* sententiam mutat, e quibus omnibus clare appareat, eum praescriptionem debito iudeo tamum non admittere, quoniam debitorem in praescriptione debiti in bona fide versari sibi persuadere nequit. Egregie vero Leyserus in *Meditat. ad Pand. spec. 455. medit. 8.* contra Bartolum monet, leges civiles, nam ad has ille respicit, per jus canonicum in primis per caput final. X. de praescriptionibus esse correctas et bonam fidem non solum in praescriptione rerum corporalium sed et incorporalium requiri, contrariamque sententiam ex aequitatis capite a plerisque ICtis, quamquam male, defendi et in summis imperii tribunalibus receptam esse, contra Stryckium autem *loc. cit. in medit. 8.*

oni pos-
 cet per
 men se-
 ala fide-
 Lib. I.
 in foro
 diei spa-
 d Barro-
 raescri-
 entiam
 en rigo-
 ere de-
 titionem
 o facto
 XIII.
 omoi-
 debiti
 torem
 fari sibi
 erus in
 contra
 has il-
 is per
 corre-
 scriptio-
 um re-
 quitatis
 e, de-
 ceptam
 medi-
 tat.
 zat. 9. et per responsum Guelpherbytanum de-
 bitorem in bona fide non modo esse posse, sed
 etiam in ea versari jure praesumi, praesertim
 si syngraphum, cuius ex redditione debiti so-
 lutio justa et legitime praesumitur, in ipsius
 manibus fuerit, nam creditori ipsi negligentiam
 imputandam esse, qui syngraphi redditionem
 non poposcerit, nec debitorem interpellarit. Ex
 his simul patet Stryckium non esse audiendum,
 qui in usu moderno loc. cit. creditoris negligen-
 tiam poenis afficiendam esse negat, ne adjuve-
 tur debitoris malitia. Quamvis enim vel cul-
 pa, vel casu vel ex improvidentia syngraphum
 in debitoris manus venire potest, vix tamen ne-
 gligentia creditoris justam excusationem admit-
 tit, sed potius poenam meretur, cum per tri-
 ginta annos debitorem ne semel quidem inter-
 pellarit. Quid? quod debiti incertiudo per tot
 annorum lapsum nimis magna redditur et ipsum
 silentium creditoris suspicionem movet, debi-
 tum jam dudum, sive per solutionem, sive per
 transactionem, sive per donationem, sive per
 compensationem extinctum esse. De debitoris
 heredibus debitum praescribentibus raeo, quip-
 pe in his nec Stryckius ab reliquis dissentit.

XXII.

Editionem declinari, si quis apographum
 pro archetypo agnoscat, vel ut instrumentum
 pro



pro edito et recognito declaretur petat, testatur
Rivinus, in enunciatis juris Tit. 26. enunc. 2.
et 33. optime simul monens, procuratorem, si
per hunc res agatur, speciali mandato instru-
tum esse debere. Utilissima vero in primis
haec cautela erit, si documentum erui nequeat,
nisi summa difficultate, aut plura in eo quam
in apographo contineantur *). Griebnerus in
processu judicari. Lib. I. Cap. 3. Sect. 4. §. 2.
lit. c. Cessat ista cautela, cum adversarius docu-
menta inter se conferre velit, et judex talam
collationem necessariam existimet. cf. Rivinus loc.
cit. enunciat. 34. Caeterum ab editione libe-
randus erit non solum reus sed tertius quoque,
imo actor ipse, qui documenti, cuius editio pe-
tatur, possessorem se quidem esse fateur, negat
autem, quicquam ad rem pertinentem in illo legi,
ideoque editionem ex errore, malitia aut viu-
peranda curiositate postulari statuit, si modo
possessor documenti exhibet archetypum, pe-

rente
tent
confi
ment
omni
P. I.
Si
cumer
caque
enaleci
curren
Hora f
qui ac
canilla
rius p
Cod.
enunci
lum i
na re
*) I

* In ducatu Gothano per novam ordinat. process.
Part. I. Cap. 26 §. 4. mandatum est: ut si do-
cumenta edenda nimis longa essent, aut secre-
ta quedam continerent, istud tantum argumen-
tum, quod ad rem ipsam spectaret, a viris fide
dignis et a judice electis, ex archetypo defri-
beretur, eique epitome, ut archetypo ipsi, fi-
des haberetur; nec multum, in terris Borussiae,
ab his differt Corp. Iur. Frider. Part. I. Tit.
10. §. 34.

testatur
nc. 2.
rem, si
instru-
primitis
equeat,
o quam-
eris in
4. S. 2.
s docu-
x talem
nus loc.
e; libe-
uoque,
tio pe-
negat
o legi,
at vitu-
modo
, pe-
rente
process
si do-
secre-
sumen-
ris fide-
descri-
psi, fi-
tusiae,
l. Tit.
tente judice, cuius deinde est, registraturam
confidere, archetypum statim reddere, et argu-
mentum ejus religioso silentio regere; quae
omnia in terris Borussicis per Corp. Iur. Frider.
P. I. Tit. 10. §. 32. et 33. expresse sancta sunt.

XXIII.

Si forte acciderit, ut reus, a judice ad do-
cumenta edenda condemnatus, contumax esset,
caque exhibere recusaret, tum nova quaestio
enatetur, quibus nimirum modis actori sit suc-
currendum? Multo enim remotiora et diffici-
liora subsidia sunt reum cogendi, quam actorem,
qui ad editionem condemnatus, si detrecter, vel
causa excidit, vel ante editionem in causa ulter-
ius progedi prohibetur. *Perez in praelect. ad*
Cod. Lib. II. Tit. 1. ad nr. 12. Rivinus in
enunciatis juris Tit. 26. enunc. 5. quorum nul-
lum in reo locum habet. Quali ergo sub poe-
*na reo editio injungenda erit *)?* Putant
pleri-

*) Poenam, sub qua editio injuncta est, commis-
sam

D



plerique reo tergiversanti editionem sub poen
editi et recogniti esse injungendam. *Io. Aug.*
Helfeld in repertor. jur. privat. sub voce edi-
tio documentor. §. 3. Carpzovius in jurispru-
*dent. forens. Part. I. Conf. 17. def. 30. et *Btp**
gerus in oeconomia juris Lib. IV. Tit 24. pag.
1076. sed vereor, ut ea poena auctorem juvet, si
copia documenti jamjam in actis extet. Non
fugit hoc jureconsultos antea a me citatos. Id
circum melius est statuere, reo sub comminatio-
ne mulctae vel carcoris editionem injungere.
Dubit o tamen, hoc ipso remedio auctori satis con-
suli: reus enim, si pauper, mulctam non curabit
et

sam dici non posse, si adversarius in termino
ipse frustra exspectetur, dicit *Io. Balhafer s.*
Wernher in observat. forens. Part. V. ob. 232.
cum poena ex eo dependeat, quod petitionis
adversae partis non satisfactum sit, adversarius
vero terminum negligens contumaciam eius
qui documentum edere praetermisserit, accusa-
re nequeat, ideoque nec poenae locus sit; que-
omnia vero ad illum tantum casum extenden-
da erunt, quo adversarius editionem petit, non
autem ad illum, quo iudex ex officio eam de-
cernit atque injungit.

ub poen
Io. Aug
voce ed
jurispru
o. et Ba
24. pos
juven. ni
et. Non
atos. Id
mininatio
njungere
fatis con
on cumbit
et
a terminis
Balthasar
obj. 332
l petitionis
adversariis
ciam ejus
t, accusa
fit; que
extende
petit, non
eam de
ut in carcerem detrusus ab auctore sibi alimenta
praeberti, facile patietur: si dives, multam
nihil ducet, fortasse carcerem plurimi faciet.
Suppeditat aliud remedium Iason *in commentar.*
ad L. I. §. 3. D. *de Edendo.* Vult enim, ut
judex fidem ejusmodi instrumenti in perpetuum
damnerit: sed non defunt, quae etiam contra
eum proferri possunt. Melius est remedium
quod suppeditat nova et emendata ordinatio pro-
cessus Sax. Gothan, *Part. I. Cap. 26. §. in fin.*
ibi enim sancitum est: ut, si in articulis nullum
extaret exemplum documentorum petitorum, si
quidem tale statim pro edito et recognito putan-
dum esset, articuli ipsi, ad quos confirmandos
editio peteretur, pro concessis haberi deberent.
Mihi optimum esse videtur, auctorem ad jura-
mentum credulitatis admittere. Iuret igitur, cre-
dere documenti sententiam et argumentum, nul-
lum aliud, quam quod dixerit, esse. Talis enim
enunciatio documenti exhibitionem supplebit.

XXIV.

Ut ad editionem documentorum sumitus is
qui petat, praebeat, non solum expresse in le-

D 2

ge

ge 4. §. ult. *D. de Edendo et lege finali C. de fide instrument.* lanicitum, sed et maxima aequitatis est. Si vero iudex ex officio alteri partium editionem imponit, tunc uterque, iam auctor quam reus, sumitus editionis ferre tenentur, quamvis Martini in commentar. ad Ordin. Prot. Saxon. Tit. 26. §. 1. nr. 85. editionem hoc casu ejus, qui instrumento nitatur, sumitis fieri vult.

XXV.

Quaecunque de reo dixi, omni jure etiam ad tertium extenduntur, quoniam huic editio plerumque nihil obest, ideoque regula juris: quod tibi non nocet et alteri prodest, ad id potes compelli, locum haber. Si vero damnum ter- tium inde metuat, fidem illi det petens, se eum laedere nolle. Idem praecepit ipse imperator Justinianus in *L. final. princ. C. de fide instru- mentor.* etc. et quamvis eadem lege constituit, tertium jurantem, se instrumenti exhibitionem ob magnum facultatibus suis inde emergens da- mnun recusare, ab editione liberari posse, du-

bito

bito tamen, hanc justam esse causam, quippe
 qua reus ipse non liberetur: quid? quod tertius
 in detegenda veritate ad testimonium, ita et ad
 instrumentum edendum obligatus sit, si modo
 perentis interesse judici videatur. Assentitur
 Gailius in observationibus Lib. I. obs. 106. nr.
 1. dicens: tertium instrumenta edere debere,
 si ejus, qui editionem instrumenti petat, inter-
 sit, et nihil aliud sancit Io. Voetius cum in com-
 mentar. ad Pand. Lib. II. Tit. 13. nr. 20. princ.
 sit: „Insuper in actoris reive, aut omnino ejus,
 cuius interest, utilitatem tertius editionem in-
 strumentorum aut rationum penes se existentium
 facere jubetur.“ At si idem mox addit: „Ipse
 fiscus communia sibi cum privato instrumenta
 edere isti privato tenetur, dummodo is, cui ea
 eduntur, caueat, se contra fiscum iisdem non
 usurrum; aut si usus fuerit, causa casurum,“
 in his consentientem me non habet. Qui enim
 instrumenta ejusmodi contra fiscum producit
 aut causam eorum ope probat et vincit aut caus-
 sa cadit. Si hoc, cautione opus non erit, sin il-
 lud, Quanta injuria, causam probasse et tamen


D 3

ob

ob instrumenta a fisco edita, litem perdere.
Si autem tertius documentum edere detrectet,
tunc ei editio sub comminatione multæ, carce-
ris, immo sub poena omne interesse ei qui pe-
tit editionem restituendi, imponenda est, et
idem constituit nova et emendata ordinatio pro-
cessus Sax. Gothan. Part. I. Cap. 26. §. 3.

perdere,
et recessus,
carcer
qui per
est, et
io pro

3.



VD10

ULB Halle
004 582 101

3



5b. f



Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



R E V S

AB

EDITIONE INSTRVMENTOVM NON
IMMVNIS, SED PERINDE AC ACTOR
AD EAM OBLIGATVS EST.

DISSERTATIO IVRIDICA

AVCTORE

CAROLO IACOBO MANSO.

**IENAE,
S V M T I B V S C V N O N I S.**

MDCCCLXXXVIII

**KÖNIGRIED
UNIVERS.
ZVHALIE**

